

*Auctorem vitæ interfecistis,
quem Deus suscitavit a mortuis.*

Lectio Actuum Apostolorum

3, 11-26

In diébus illis:

- ¹¹ Cum claudus sanátus tenéret Petrum et Ioánnem,
concúrrit omnis pópulus ad eos
ad pórticum, quæ appellátur Salomónis, stupéntes.
- ¹² Videns autem Petrus respóndit ad pópulum:
«Viri Israelítæ,
quid mirámini in hoc
aut nos quid intuémmini,
quasi nostra virtúte aut pietáte
fecérimus hunc ambuláre?
- ¹³ Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob,
Deus patrum nostrórum
glorificávit púerum suum Iesum,
quem vos quidem tradidístis et negástis
ante fáciem Piláti,
iudicánte illo dimítti;
- ¹⁴ vos autem Sanctum et Iustum negástis
et petístis virum homicídam donári vobis,
- ¹⁵ ducem vero vitæ interfecístis,
quem Deus suscitávit a mórtuis,
cuius nos testes sumus.
- ¹⁶ Et in fide nóminis eius
hunc, quem vidétis et nostis, confirmávit nomen eius,
et fides, quæ per eum est,
dedit huic integritátem istam
in conspéctu ómnium vestrum.
- ¹⁷ Et nunc, fratres, scio quia per ignorántiam fecístis,
sicut et príncipes vestri;

- ¹⁸ Deus autem, quæ prænuntiávit
per os ómnium prophetárum pati Christum suum,
implévit sic.
- ¹⁹ Pænitémini ígitur et convertímini,
ut deleántur vestra peccáta,
- ²⁰ ut véniant témpora refrigerii a conspéctu Dómini,
et mittat eum, qui prædestinátus est vobis Christus,
Iesum,
- ²¹ quem opórtet cælum quidem suscípere
usque in témpora restitutiónis ómnium,
quæ locútus est Deus
per os sanctórum a sáculo suórum prophetárum.
- ²² Móyses quidem dixit:
“Prophétam vobis suscitábit Dóminus Deus vester
de frátribus vestris tamquam me;
ipsum audiétis
iuxta ómnia, quæcúmque locútus fúerit vobis.
- ²³ Erit autem:
omnis ánima, quæ non audierit prophétam illum,
exterminábitur de plebe”.
- ²⁴ Et omnes prophétæ a Sámuel et deinceps
quotquot locúti sunt,
étiam annuntiavérunt dies istos.
- ²⁵ Vos estis filii prophetárum et testaménti,
quod dispósuit Deus ad patres vestros
dicens ad Abraham:
“Et in sémine tuo benedicéntur omnes famíliæ terræ”.
- ²⁶ Vobis primum Deus súscitans Púerum suum,
misit eum benedicéntem vobis
in averténdo unumquémque a nequítiis vestris».

Verbum Dómini.